DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

MORBIS LITERATORUM.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JACOBI WITTICHII,

A. L. M. ET PHILOSOPHIAE DOCTORIS, EJUSDEM, UT ET ETHICES IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit.

JOSEPHUS WILDBORE, Anglo-Brittanus

Ad diem 27. Junii 1727. hora locoque ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. & HERM. VERBEEK, 1727.

NOBILISSIMO PLURIMUMQUE HONORANDO

VIRO

HANS SLOAN BARONETTO

M. D.

REGIÆ APUD BRITTANOS SOCIETATIS PRÆSIDI. UT ET COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENS: BRITTANORUM EXERCITUUM MEDICO GENERALI. REGIÆ SCIENTIARUM APUD PARISIENSES ACADEMIÆ SOCIO DIGNISSIMO,

Haſce primitias ea, qua par eſt reverentia.

D. D. D.

JOSEPHUS WILDBORE.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MORBIS LITERATORUM.

§. 1.

Quum laudabile Academiæ inſtitutum unicuique ad gradum doctoratus aſpiranti, jure merito impoſuerit legem conſcribendi diſſertationem, jamque tandem ad me devolutæ ſint hæ vices, idcirco, præ cæteris mihi arriſit *de Morbis adeo crèbro literatis propter vitam minus exercitatam accidentibus*, quædam exarare; videbitur forſitan viribus meis impar onus, neque id omnino diffiteor, lex autem Academica, ſæpiuſque tractatæ fere quævis aliæ materiæ, cauſam ſatis dicent.

§. 2. Cæterum ad hoc a me tantummodo ſtatutum eſt leviter attingere illos morbos, qui ex vitæ genere omnibus muſarum cultoribus communi ortum ducere obſervantur, minime verò enumerare alios nequaquam numerandos, conabor, quos humana calamitas in omni vitæ genere reddidit communes, hinc haud immerito *de literatorum vitæ genere*

quædam ſunt dicenda, & videndum, qui morbi inde tanquam *ex ſcaturigine* originem habeant.

§. 3. Illi omnes, quibus ſeveriores muſas excolere ſors benigna dedit, ſedilibus ſuis affixi, libris impalleſcere amant, dumque mentem acerrime exercent, corporis motus omnino negligunt: Quin imo multi ex illis abdomine ad menſam appreſſo plurimis horis quieti ſedent, ſicque hiſce viſceribus adeo coarctatis âdeoque compreſſis ut ſanguinis tranatio per illa fermé penitus præcludatur, unde minime mirum exinde hic naſci moleſtas adeo imo, ſæpe inſuperabiles, obſtructiones, Accedit præterea dum uni objecto plerumque intenti ad inſtar ſtatuæ immobiles hærent, rigentque, ſola fere fit circulatio in minutiſſimis *Encephali* & *Nervorum canalibus*, per majora enim vaſa torpidus admodum & nullus fere motus; nunquid id plane dilucidant ii torpores & pallores omnibus hiſce nimis attente ac diu unam rem contemplantibus adeo frequentes? hinc & etiam mobiliſſimi liquidi continua & ingens jactura: nonne hoc ſatis luculenter appareat tum ex totius corporis laſſitudine tum etiam ex gravitate hebetudineque animi exercitia valida ſupervenientibus? Nec contenti diurnum tempus humanis dicatum laboribus; ſic tranſigere, in ſeras noctes nimis ipſis dilectos labores protrahunt, quo fit ut corpus placida quiete privetur, mobiliſſima liquida plus diſſipentur, nec reficiantur, donec maceratum vigiliis, & fractum laboribus corpus tandem fatiſcat.

4. Hinc præcipui fontes morborum, huic vitæ generi communium, videntur eſſe, motus muſcularis imminutio, & liquidi ſubtiliſſimi nervoſi nimia jactura; nuncque igitur videndum erit quænam ſint mutationes in corpore inde pendentes.

§. 5. Vitæ humanæ ratio requirebat corpus mobile, viciſſimque motibus muſcularibus exercitatum, & ſi ii juſtum medium non excedant, ipſi corpori mirum in modum proſunt, quommodo autem id fit, paucis expediemus, ſanguis noſter ex corde ſiniſtro propulſus per canales (arte-
rias

rias nempe) ſenſim auguſtiores factas, fluens, multum ibi de celeritate proculdubio perdiderat, præterea ille jam in venis hærens propter ſuam minus validam actionem, vimque impellentem imminutam neceſſario adhuc retardatur, hinc niſi nova quædam adminicula accederent; difficulter admodum poſſet promoveri, quam ob cauſam *Conditor* noſtri corporis ſumma ſapientia truncos venarum majores, imprimis in extremis noſtri corporis, ſupra muſculos ingentes ibi poſitos locavit, vel inter illos fecit decurrere, Arterias vero pleraſque in profundum demerſas tutius recondidit, ut tumentibus & laxatis alternatim Muſculis ſanguis per venas ipſis accumbentes percommode promoveretur, Quin & id quam plurimum facilitatur valvulis venarum longitudinem in diſtinctas columnas quaſi dividentibus, dum ſimul tunicarum venoſarum tenuitas impreſſum ex vicinis motum facile ſanguini in cavo hærenti imprimi permittat, ſicque ergo videmus motu muſculari accelerato, promovetur ſanguis venoſus verſus *Cor*, & contra.

§. 6. Cor noſtrum, Muſculus perpetuo mobilis, tres cauſas ſui motus agnoſcit, primo nempe *influxum ſanguinis per Arterias Coronarias* in ejus ſubſtantiam, dein influxum *ſucci nervoſi per nervos Cardiacos*, denique ſanguinis venoſi *in cava cordis influentis* irritationem; una vel pluribus ex hiſce cauſis roboratis, augetur & incitatur cordis motus: ſic ſanguinis venoſi accelerationem cordis motum augere quam evidentiſſime conſtat ex ipſis experimentis: *Frictiones* enim, quæ nihil aliud ſunt quam alternæ venarum compreſſiones & relaxationes, pulſum accelerant, & calorem mirifice augent, pulſus vero acceleratio & caloris augmentum certa ſigna dant Cordis validius exercitati; idem etiam pariter eaſdem ob cauſas obtinet, motu muſculari aucto: Quin imo hoc adeo verum eſt, ut in ipſo cadavere *flatu*, *aqua tepida*, *imo recenti*, *ipſo ſanguine* in venis contento preſſu vel motu verſus *Cor* protruſo, *Cor* de novo incipiat moveri & palpitare, quæ experimenta metum quandoque *Anatomicis* incuſſere: nec minus liquido hoc apparet *in Syncope* laborantibus, namque illorum

rum corporibus dum aſpergitur aqua gelida, conſtrictis ſic a frigore ſubitaneo venis, ſanguis verſus *Cor* dextrum protruditur, *Cor* ſic irritatum incipit de novo moveri, & vita pro tempore intermiſſa redit. hinc ergo ſatis clare patet quod motu muſculari imminuto, imminuatur circuitus humorum, hinc ex hac cauſa omnes morbi nempe a defectu circulationis pendentes *eruditis* ſunt ex vitæ genere neceſſarii.

§. 7. Præterea tali lege Corpus noſtrum factum eſt ut ſimulac velocitas ſanguinis circulantis augeatur vel minuatur, ſtatim & reſpirationis vis & velocitas increſcat vel decreſcat, licet tamen adhuc perfecta adeo Proportio inter Pulſuum & reſpirationis rythmos determinari non potuerit, forte quia reſpirationis actio partim voluntati ſubjacet, ſufficit hoc noviſſe, ſanguinis motu accelerato reſpirationem quoque celeriorem fieri, uti evidenter patet, ſi quis enim curſu corpus ſibi exerceat, extemplo quam maxime caleſcet anhelabitque, & certe in acutiſſimis morbis nihil clarius videmus reſpiratione valde aucta niſi mens laboret ut Hipp. multoties obſervavit; hinc cum motu muſculari minuto ſit demonſtratum, velocitatem ſanguinis imminutam fuiſſe, jam pariter liquet inde reſpirationem minui, hinc Pulmonum actio in ſanguinem multo minor in quieſcenti, quam in laboribus exercitato corpore: ſed Pulmo actionem omnium vaſorum noſtri corporis in ſua liquida in Compendio quaſi exhibet, & tale quidem Viſcus eſt, quale omnium maximè mutat humores per ejus Fabricam mirabilem vi Cordis dextri trajectos, hinc adeo ſollicite natura cavit, ne minima quidem gutta ſanguinis ad alias corporis partes perveniat, niſi prius pulmonis efficaciam experta fuerit, hinc *Chylus* crudus, ſimulac ex *Fiſtula Thoracica* ſanguini affuſus eſt, ſtatim per *Arteriæ Pulmonalis* anguſtias ex dextri *Cordis* antro pellitur, ut ibi reddatur magis aptus, qui fluere poſſet per omnia vaſa, cum ergo ſic hæc actio imminuatur, ac debilitatur, an mirum eſt cruditates inde oriri, cum cauſæ coctionis in ſuis functionibns retardentur, certe cuique ad hanc rem attendenti facile patebit, ingentem morborum numerum inde debere naſci,

prout variæ corporis partes, vel & aliquando totum corpus crudis nec ſatis attenuatis humoribus fuerint repletæ.

§. 8. Verum porro circulatorii motus imminutio primò lædet illas Corporis noſtri partes, per quas circuitus humorum lege corporis ſit magis impeditus, hoc imprimis obtinet *in Viſceribus Abdominalibus*, ubi ſanguis jam venoſus factus cogitur iterum pervadere *arterioſas anguſtias*, antequam a *Corde* novum receperit motum, hinc niſi quædam cauſa de novo generans motum hic adeſſet, hoc nunquam ſatis feliciter poſſet fieri, ſed ſapienti inſtituto *Creator* omnia hæc Viſcera ita ſuſpendit & locavit, ut inter partes perpetuo motas premerentur, ſemper ſic V. C. *Hepar Lienem* &c. à *Diaphragmate* pendula fecit, ſicque etiam *Inteſtina* miro ordine penſilis *Meſenterii* fimbriæ annexa preſſionis abdominalium muſculorum immediate expoſuit, dum interim *Venas* uti ex Cl. *Ruyſch.* injectionibus clare patet *abdominalium Viſcerum* Valvularum expertes fecerit, forte ut neceſſitate urgente, ſanguis ex *Venis Miſeraicis* retrogrado motu in arterias refluere poſſit, nec hoc adeo abſurdum apparet, quia humor in arteriis fluere poteſt ab Apice ad baſin, ſimulac major preſſio ab Apice baſin verſus, quam a baſi verſus Apicem, id autem revera hic fieri docent ſæpe ſubitiſſime poſt ſummas anxietates orti *Icteri*, *bile* retrogrado motu in ſanguinem reducta, ſalutari evacuatione hæcce quippe Viſcera haud raro peſſimis obſtructionibus penitus liberans, ſed ſemper ut ipſe frequenter obſervavi prægreſſa inexplicabili anxietate.

§. 9. Cum ergo, ut in præcedenti §. viſum eſt circuitus humorum imminuti incommoda, cæteris paribus, *abdominalibus Viſceribus* immineant, & reſpiratio ſimul in hoc Vitæ genere imminuatur, non mirum eſt: hic infandas fieri obſtructiones; quantum vero reſpiratio adjuvet circulationem ſanguinis per *Abdominalia Viſcera*, patebit ex ſequenti experimento: ſi Cani vivo vegetoque uno ictu aperiatur abdomen, luſtratis omnibus contentis haud apparebunt fere venæ, ſed non ita multo poſt incipient tumere miro modo, nec

difficile eſt de hac re recte concipere, quoad enim abdomen integrum eſt, omnia contenta muſculis abdominalibus premuntur valide, ſic Venarum lateribus compreſſis ſanguis promovetur per illas, eaque ratione poſſunt ſuperari illæ reſiſtentiæ, ſimulac vero hoc prælum abdominale prorſus deſtructum eſt, tunc temporis nequit ſanguis venoſus anguſtias *Venæ portarum* ſuperare, hinc remoram patitur, venarumque latera extrorſum trudit: Præterea hoc confirmatur ex illis, quæ fiunt in corpore noſtro quando hic loci hærent cauſæ liberum hunc tranſitum impedientes, ſic enim ſumus facti, ut corpore noſtro mutato a cauſis morboſis fiant quidam motus, nullo modo a mente determinati, quibus cauſas morbi amovere nitimur, ſic grano ſabuli in oculum illapſo mox convellitur orbicularis palpebræ utriuſque muſculus, ut ſic compreſſa Glandula innominata major copia lachrymarum defluens irritans hoc corpuſculum abluat, hocque percurrendo omnes morbos apparebit: ſin autem in abdomine hæreat talis cauſa liberum tranſitum ſanguinis venoſi per *Hepar* vel *Bilis*, &c. impediens, coacti, profunda ducunt ſuſpirium, quibus, hocce onus levare conantur, ſed certe ſuſpirium nihil aliud eſt quam profunda & valida reſpiratio: hinc illa *Melancholicorum Suſpiria:* ſique ne eo quidem modo levari poſſunt, poſt incredibilem anxietatem incidunt in vomitus inormes, ita ut *Diaphragmate* & *Muſculis abdominalibus* ſimul convulſive contractis validiſſima preſſio in *Viſcera abdominalia* agat, quæ tollere poſſet obſtacula nulla alia vi ſuperanda: an non inde, *Calculo* obſtruente exitum *Bilis* verſus inteſtina, poſt ſummos angores oborto vomitu *Icterus*, cum levamine ſummo? nempe hac validiſſima & convulſiva actione *Bilis* retropreſſa fuit *in Venam Cavam.*

§. 10. Nec minus huic Vitæ generi infeſtus *Calculus*, non infima humanæ miſeriæ pars, ille corpori noſtro inquilinus, ex propriis noſtris humoribus naſcitur, modo baſin cui, ſe applicet, inveniat, nec rapidior humorum motus obſtet, quo minus ſe uniat: *Calculus* talis per totum corpus naſci obſerva-

va-

vatus eſt, ſed temper in illis fere locis, ubi humorum circuitus multum retardatus fuerat, ſic *in viis bilioſis pelvique renum* ubi tardiſſime humores moventur, imprimis naſci obſervantur *Calculi*; omnium autem maxime in binis iſtis locis, ubi urina ſtagnat, & accumulatur, *Pelvi nempe Renali & Veſica: Urina* autem hominis ſaniſſimi calculi materiam in ſe habet, & quieſcendo deponit, hinc & etiam in noſtro corpore ſunt cauſæ illius concretionem impedientes; *Urina* enim in *Veſica* ſtagnans copia vel acrimonia ſui excretionem ſollicitat, ne nimia mora in hoc cavo ſtagnans calculoſam materiem ibi deponeret: *Renes* porro in Lumbis ita ſunt poſiti, ut *Diaphragmati* hic profunde deſcendenti pro parte incumbant hinc eo continuò moto conquaſſentur, ſicque ſtagnatio & nimia urinæ mora in *Pelvim* delapſæ præcaveatur, cum autem in hocce Vitæ genere reſpiratio imminuta ſit multum, proinde & renum inde pendens agitatio minuta erit; huic rei accedit quod peſſimo more ſæpe nimis diu urinam in Veſicam delapſam retineant, dum aliis rebus intenti hæc quaſi negligunt.

11. Altera Morborum quaſi ſcaturigo videtur pendere a conſumptione nimia liquidi ſubtiliſſimi, dum ſimul ex præcedentibus patuit, ſenſim debere ſic mutari omnia illa Organa reſtaurationi hujus inſervientia, ut tandem debite reparari nequeat, eaſdem ob cauſas ſimul toto corpore *Mucoſis*, *inertibus*, minuſque *mobilibus liquidis*, repleto, hinc omnes morbi inde pendentes huic vitæ generi familiares ſunt, uti *Lethargus*, *Apoplexia*, *Cachexiaque* & ſimilia ſed adhuc continuati illi mentis labores, adeo facile mobiles, adeoque obſequioſos, minimis animi affectibus effecerunt *ſpiritus animales*, ut leviſſima de cauſa determinati in hanc illamve partem nimio impetu ruant, hinc ſpaſmodicæ illæ affectiones quas in muliebri corpore ſub generali nomine *Paſſionis Hyſtericæ* comprehendimus, ni admodum fallor, oriuntur: cui rei etiam quam maxime favet debilitas major & laxitas totius corporis, quam neceſſariò debere ſequi ex præcedentibus facile colligitur.

§. 12. Vidimus §. 8. & 9, cauſas manifeſtas, quare *abdominalia Viſcera* debeant repleri infarcirique *materia lenta, craſſa*, & *immeabili*, hanc *diatheſin* vocaverunt Veteres *bilem atram*, non quod bilis ſit, ſed a loco, ubi hæret Materies, nempe circa *Hepar bilis* officinam, *Atram* verò vocaverunt a colore, quia in cadaveribus hoc morbo defunctis obſervatum fuit, hæc *Viſcera* repleta fuiſſe *picea, nigricante, tenaciſſima, materia*, & præterea ab omni ævo obſervatum fuit, laborantes hoc morbo talem materiam, ſive Medicamentis, ſive aliis de cauſis attenuatam, ſurſum deorſumque rejeciſſe cum levamine, modo *Viſcera* adhuc integra fuerint: ille Morbus præ cæteris omnibus *Literatos* occupat; hinc illi *Ructus, Flatus*, & *Borborygmi:* alvique nimiæ aſtrictiones, hinc ille ſenſus ponderis in abdomine, & inexplicabiles anxietates, hinc denique illæ Cordis palpitationes, quæ etiam a perturbato *ſpirituum* motu, ut in *Hyſtericis*, frequenter accidunt; & reliqua mala innumera, quæ ob infarcta hæcce *Viſcera* neceſſariò debent accidere. Sic in vita noſtra nihil eſt ex omni parte beatum, dum Amabile hoc & tranquillum vitæ genus tot pariat Morbos.

§. 13. Enarratis huc uſque præcipuis Morborum fontibus, ſupereſt, ut quædam de illorum curatione dicantur: tamen generaliora tantum hic proferam, cum ſpeciatim ſingulos inde ortos morbos deſcribere non patiatur Academicæ diſſertationis limes, & imprimis huic rei incumbam, ut brevi ſermone demonſtrem, quommodo ipſi hi morbi poſſint prima invaſione quaſi ſuffocari.

§. 14. Cum ergo demonſtratum ſit, Motus Muſcularis nimiam imminutionem ſummopere obeſſe, hinc evidens eſt, ut multi eruditorum morbi præcaveantur, vel jam nati curentur, hunc motum augendum inſtaurandum eſſe: plerique enim Mortalium in alterutro errant: plurimi ſunt, qui ſolius corporis commodis intenti, huic conſervando unicè incumbunt, meliorum ſui partem (*mentem* nempe) negligentes: viciſſim & alii dum mentem omni ſedulitate exercent, corpus negligunt, non attendentes actiones Mentis nunquam

eſſe

eſſe illibatas niſi corpore integro & bene diſpoſito: hinc nihil æquius eſt, quam ut Mentis exercitiis corporis motus aſſocientur, quod ſapiens *Vetuſtas* adeo pulchrè noverat, dum in *Gymnaſiis* artium diſciplinis jungebat corporum exercitia, quibus viciſſim operam daret juventus: quod utinam & hodie obſervarent omnes illi, qui ſapientiæ ſtudiis operam navant!

§. 15. Imminuto *Muſculari motu* neceſſariò debere imminui circulationem humorum demonſtratum eſt, ſed inde omnes humores ingeſti crudi, incipient ſuam naturam ſequi, id eſt ita mutari in corpore ac extra corpus noſtrum in eodem gradu caloris mutati fuiſſent, hinc corruptio in acrimoniam acidam, alkalinam, vel oleoſam rancidam, hinc & etiam origo glutinoſi ſpontanei, prout varia natura ingeſtorum in hanc vel illam corruptionem plus minuſve inclinaverit, & deinde Medicamentis acrimoniæ particulari humorum, ſuis ſignis detectæ, oppoſitis, hæc cura perficitur, hæc breviter annotaſſe ſufficiat.

§. 16. Ulterius demonſtratum eſt, imminuta circulatione, & motu muſculari, reſpirationem adeoque & pulmonis efficaciam in humores noſtros minui, hincque omnes humores minus aſſimilari, magis crudos manere, plurimumque eorum motus in ſolida imminui & viciſſim, ſola curatio conſiſtit in roborata *Pulmonis* actione, leviterque ſtimulando fibras ad motum, hincque liquidorum motus augendo, prima indicatio perſolvitur per *Vectiones* in *Rheda*, *Equo*, *Navi*, *Frictiones* atque omnia exercitia corporis, pro ratione virium inſtituta; & per gradus augenda, interea autem temporis, dum hæcce perficiuntur talia ingerenda ſunt alimenta, quæ minori moleſtia poſſunt transmutari in indolem noſtram, qualia imprimis ſunt illa, quæ antea in corpore Animalis ſani præparata fuerant, uti Lac. Jura Carnium &c. ſecundæ indicationi ſatisfit, exhibendo biſterve de die ægris cochlearia tria vel quatuor Tincturæ ex levibus aromaticis confectæ uti ſunt *Flaved. Cort. aurant*: *Galang.* & ſimilia, huc etiam referri

ferri poſſunt, *Salia fixa*, *Volatiliaque*, *Vina Medicata*, &c.

§. 17. Quod autem ſuperius demonſtratum fuit, abdominalia viſcera imprimis debere obſtrui, & infarciri humoribus minus meabilibus, & ab hac cauſa plurium eruditorum morbi originem trahere, hæc Viſcera omni molimine liberari debent & deobſtrui; hoc omnium pulcherrimè fit, dum penetrabilibus ſaponaceis, blandis tamen, ſuccis totum corpus repletur, deinde corpori repleto motus conciliatur, hinc uſus continuus Mellitorum, fructuum horæorum ut Cl. BOERHAAVE teſtatur omnium bene maturorum, lactucarum, (quas ſapientum Ventribus amicas dixit Horat.) & omnium fere planipetalarum lacteſcentium ſucci, vel infus: ex ſero lactis melle edulcorata, tantopere proſunt, uti & omnes alii ſimiles ſucci, Aquæ Minerales &c. horum enim continuato uſu fluxilis redditæ materies, quæ erat obſtructionis cauſa, corpus deſerit & liberat.

§. 18. Calculoſæ autem concretiones in corpore noſtro ſemel natæ vix unquam reſolvuntur: hinc optima Methodus eſt vias lubricare, ut ſic de corpore, ſi poſſibile eſt, poſſint eliminari: ſi vero id non poſſit fieri, tum ingeſtio liquidi dilutiſſimi ſubaciduli copioſa, una cum aucto motu ſummopere proſunt, ſi enim poſſimus impedire, ne nova materies calculo ſemel nato, accreſcat, & interim magna copia humorum præterlabentium illum ſenſim atterere, Calculus deſtruetur, liquida vero tenuia ſubacidula uti Emulſiones jamjam acceſcentes & decocta Farinacea emollientiſſima has dotes habent, dum ſuo levi acore ſalem Volatilem alkalinum deſtruunt & ſic ligans illud principium de Calculo tollunt, certis etenim experimentis evictum eſt, hoc ſalino ablato de Calculis humanis illos in pollinem fatiſcere: ſed debent magna copia & aſſiduo uſu potari: cæteris vero omnibus ut ex ore Cl. BOERHAAVE Promotore meo exoptatiſſimo ſæpe audivi palmam fere præripit ſuccus Grammis magna copia diuque potatus, donec homines inci-

cipiant *Diarrhæa* oborta extenuari, ſic Calculi in *Acinulis hepaticis* hærentes fuerunt fæliciſſimè deſtructi, plurimique morbi *Chronici* pertinaciſſimi inde orti ſunt curati.

§. 19. Illi vero morbi, qui oriuntur a ſpiritibus nimis conſumptis per continua mentis exercitia, vel etiam a ſpiritibus (ſi ita loqui fas ſit) nimis fixatis, dum mens uni rei diutiſſimè intenta manet, nunquam felicius præcaventur, vel jam præſentes curantur, quam ſi Variata omni modo cogitationum ſeries laſſatum animum demulciat, hinc blandi poëtarum ſales ſeverioribus intermiſceantur muſis, vel torpentes animi vires exhilaret muſica, & generatim quicquid uni cogitationi nimis affixam mentem ad alia divertere facit, prodeſt, ut deambulatio amicorum colloquia &c. Hi autem morbi omnes ſpaſmodici, qui in Viris ſub titulo *Hypochondriaci affectus* in ſequiori vero ſexu *Hyſtericas paſſiones* audientes obſervantur, videntur ortum ſuum ducere imprimis a nimia mobilitate ſpirituum, accedente ſimul minus firmo robore in ſolidis, hinc illi ſpaſmi ab errore ſpirituum orti, omnes fere morbos mentientes: hiſce quædam corpora fœtida peculiariter dicantur, a quibus quippe haud aliter ac incantamento vidi *Paraxyſmos* quam vehementiſſimos perfecte ſedatos, talia ſunt ferulacea gummi, ut Galb. ſagapen, ammon, tum opoponax, aſſa fœtid. &c. viroſæ animalium partes, ut Caſtoreum ex quibus pulcherrimè componuntur Pillularum maſſæ, quarum ſingulo bihorio vel trihorio dum grana quatuor vel quinque deglutiuntur, tota die hæret fœtidum illud aroma incluſum tenaciori gummoſæ parti ſpirans in primis viis, certo fere eventu ſpaſmodicos illos morbos compeſcens, dum interim *Chalybe*, *Cinnamomo*, *Cortice Peruviano*: & ſimilibus roborantibus tenera nimis ſolidorum compago firmatur.

Hæc erant generalia illa, quæ circa hos morbos exarare ferebat animus, quibus abſolutis huic diſſertationi imponitur

FINIS.

ANNEXA MEDICA.

I.

Vis Cordis non replet omnes arterias.

II.

Sanguinis rubedo pendet a Cohæſione Globulorum.

III.

Globulorum cohæſio a Vaſorum actione.

IV.

In omnibus Inflammationibus gravioribus (cæteris paribus) convenit Venæſectio.

V.

An Hydrops Anaſarca per Frictiones ſolas, modo Viſcera adhuc integra ſint, poſſit curari?

VI.

An, ſcirrhus perfecte durus, politus, renitens, in glandulæ folliculo hærens, poſſit unquam reſolvi, valde dubito?